



**Bavariae Sanctae Volvmen ...**

**Rader, Matthäus**

**Monachii, M.DC.XXIV.**

S. Hiltegardis Regina, Coenobii Campidonensis Conditrix.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)



## S. HILTEGARDIS

REGINA, COENOBII CAMPIDONENSIS

CONDITRIX

LXXXIII.

Prid. cal. Maii.

Lambert.

Marian. Scotus.

Eginhard. in vita

Caroli M. eod. anno.

Rypperg. p. 267. in

Carolo M.

Annal. Franc. ve-

teres. p. 11 16.

Herman. an. 770.

783.

A. moir. l. 4. c. 69

p. 205. &amp; c. 75. p.

212.

Theganus c. 2. p.

296. &amp; 297.

Vita Lud. Pj. p. 338.

Sangall. l. 1. p. 363.

c. p. 371. 374.

419. de Desiderij fi-

lia repudata s. 1.

ant. lect.

Regino anno 780. &amp;

783

Isti sunt antiquis-

simi.

De ead. recensione.

Bruschius de monast.

Germ. p. 25. &amp; seq.

Martin. Crus. Sue-

vic. l. 12. p. 316. &amp;

seq.

Hind. Genesl. Teo-

Stemmatum lib. pag.

22.

Nicodem. Frischlin.

operu. l. 1. p. 226.

post drama de Hilde-

garde.

Cuspin. in Carolo.

Panvinus in eodem.

Speculum exempl.

240. dist. 4. ex 3.

Sebast. Munster. l. 3.

p. 562.

Chron. andec. p. 12. c. 3.

Munst. l. 3. p. 562.



Estatim in limine. Lector, offendas, noueris in factis  
 sacris Hildegardin virginem Binganam legi, diuersam  
 planè ab hac nostra, vt quæ trecentis septuaginta præ-  
 ter propter, aîis post hanc nostram Hiltegardin, con-  
 iugem Caroli M. S. Bernardi demum æuo vixerit,  
 cum nostra anno MCCCLXXXIII. regnum & vitam cum morte com-  
 mutarit. Alterum est quod monitum velim: hanc de qua in  
 præsens agimus, Hiltegardin in nullis tabulis Ecclesiasticis, quas  
 quidem ego cognoui, sanctis accensam, prænomen tamen Sanctæ  
 & titulum in chronico Mindensi, Andecensi & fortasse etiam in  
 Campidonensibus monumentis, quæ nondum licuit videre (nisi  
 quæ apud Bruschiu, Munsteru, Crusiu & hoc genus recen-  
 tiores rescriptores extant) legi. Antiqui auctores omnes nihil hac  
 de re, nec eius consecratione narrant, nisi quod Theganus beatissi-  
 mam reginam vocet. Neq; hoc (quod fere caput est rei) non mo-  
 nendus es, in acta vitamq; Hildegardis prodigiosa fabularum mon-  
 stris, qualia nec Phryx olim fabulator cogitauit, nec Phædro in men-  
 tem fuerunt, nec in Parnasso Ascræus somniauit, irrepsisse, & à qui-  
 busdam in historiam, tanquam certa legitimæque recepta admissa-  
 que, cum princeps & sanctissima lex historiæ sit veritas. Ergo ne  
 lectorem meum per auia & inuia ducam, omisiss omnibus Aesopi-  
 cis figmentis Frischlini, Crusij, Bruschij & aliorum, recto limite ad  
 certa & vera contendam.

Hiltegardin Hildebrando Sueuorum Duce & Regarda he-  
 roinâ, domo Bauarâ, in monte Andecensi, qui in Boica, hodièque  
 sanctoru religione & mira u lis inclitus est, natam ferunt. De pa-  
 rentibus Hiltegardis ita accepimus ex monumētis Andecensibus,  
 & Campidunensibus, si verus Munsterus, Bruschiu & alij. Est oppidū  
 istud Campodunum peruetustum, quod ante Christum natum appellatum fuit,  
 ut aliqui scribunt, Vermeta, deinde Trettica, tertio, Vertica, & ultimo Campi-  
 dona. Habuit etiam vetustum castrum montanum Hyllamont appellatum, quod  
 olim inhabitauerunt quidam duces Sueuie præsertim Esnerius, qui ad fidem Christi

fuit



## S. HILTEGARDIS.



Symata quam tragico ploratum moesta cothurno,  
 Nil tragico dignum symmato passa fuit.  
 Chara Deo semper, nunquam non chara marito,  
 Quas sociavit amor, dissociasset amor?

SEMPER INIQA FUIT REGINIS FAMA; Sechen  
 Hoc docuit coniux quā Tyrus alma tulit.  
 Hoc et quam Graius deuxit Colchide Iason;  
 Insonem vates laxis utramq; nocens.



S. HILTEGARDIS



Handwritten text in a medieval script, likely Latin, arranged in several lines. The text is very faint and difficult to read.

Handwritten text in a medieval script, likely Latin, arranged in several lines. The text is very faint and difficult to read.



fuit conuersus: Deinde post eum atque ex semine eius nati sunt dux Gottfridus dux Hobingus, Nebus, Imaus, Hildprandus, qui potens factus est in Sueuia & Illergoia. Sustulit ille ex Regarde uxore sua natione Banara, in monte Andex filium Vtricum nomine, qui postea factus fuit Episcopus Lausanensis, & filiam nomine Hiltegardin, quæ nupsit Carolo M. genuitque ei quatuor filios, Carelum, Pipinum, Lotharium, Ludouicum, & quatuor filias, Gertrudim, Giselam, Bertham & Hiltegardim. Habitauit dictus Hiltprandus aliquando in Andex, aliquando iuxta Rauenspurgum in monte sancti Viti, aliquando in Hylamont prope Campidonam, & filia eius Hiltegardis consentiente marito Carolo M. fundauit monasterium Campidonense contulitque eidem comitatum Hyllamont cum multis priuilegijs.

Bruschius eandem hoc modo deducit: In hac arce Hylermontana postea Sueuie Duces Hilbrandus, Gotfridus, Hobingus, Nebus, Imaus, & Hildebrandus secundus vixerunt ac habitauerunt, ita ut hæc arx auita sedes fuerit Sueuie Ducum, ad tempora vsque Caroli Magni.

Hildebrandus iste secundus ducta uxore Bauara domina Regarde excepit ex ea

D. Adelindin natam in arce Andechs desponsatam domino Othoni Comiti Tra-gendino & Calariensi fundatricem amplissimi Canonissarum Collegij Buchaugiensis prope Biberacum siti.

D. Hildegardin & ipsam anno 732. in arce Andecensi natam ipsa die S. Sabine, Carolo M. Francorum regi nondum Casari desponsatam fundatricem monasterij Campidonensis.

D. Vtricum gemellum cum domina Hildegarde eodem die natum, qui Episcopus tandem Lausana designatus legitur.

Theganus antiquissimus scriptor nullam facit mentionem Hildebrandi, nullam Regardæ Boiariæ: Qui, inquit, cum in iuuentute erat supradictus imperator sibi nobilissimi generis Sueuorum puellam nomine Hiltegardam, quæ erat de cognatione Gotefridi Ducis Alamannorum. Gotefridus Dux genuit Houchingum Houchingus genuit Nebi, Nebi autem genuit Imma, Imma vero peperit Hiltegardam beatissimam reginam. Postquam eam supradictus imperator in matrimonium assumpsit, genuit ex ea tres filios, quorum vnus vocabatur nomine patris sui Carolus, alter vero Pipinus quærat rex super Italiam; tertius vero vocabatur Ludouicus, qui erat rex super Aquitaniam. Dum vivebat pater eorum cum rebus, feliciter & utiliter instruebat eos liberalibus disciplinis & mundanis legibus.

Aimoinus tantum de nobilissima gente Sueuorum oriundam ait.

Eginhar,

Dereb. gestis ab Ludouico imp. p. 296. c. 2. ap. Bithenium.



Egin. p. 493, in corp.  
Franks.

Eginhardus iisdem verbis eam laudat (*Deinde, inquit, Eginhardus gener Caroli M. cum matris hortatu filiam Desiderij regis Longobardorum duxisset uxorem, incertum, qua de causa post annum repudiavit & Hiltegardin de gente Sueuorum præcipua nobilitatis feminam in matrimonium accepit: de qua tres filios Carolum videlicet, Pipinum & Ludouicum totidemque filias Rotrudin, Bertam & Gislam genuit.* De quo plura volumine I. in Carolo M. p. 80. v. 4.

Nemo ex antiquis attingit Hiltebrandum, nemo Regardem Boariam. Sed nimirum hæc minutiora plerique negligunt nec eo minus Bauaram credimus, cum nullus veterum eius patrem expresserit. Hoc magis mirandum nullum omnino historicum ex antiquis nec Germanicum (quales fuere Hermanus, Vrspergensis, Regino, Lambertus) nec alios ullam conditi ab Hiltegarde cœnobij facere mentionem, cuius tamen tam luculentæ Caroli M. & Alberti Boiorum Ducis tabulæ extant, hodièque in chartophylacio Monacensi seruantur, & à nobis cognitæ sunt. Nimirum illi chronologi, Caroli tantum res executi sunt, uxorem nominarunt, res eius gestas tacuerunt: quod non historiam vel annales sed chronologiam scripserint. Ex Boiorum verò sanguine natam certissimos habeo testes, præter Germanicos scriptores ad oram supra laudatos, literas Alberti IV. Boiorum Principis anno cccccxxxii. scriptas quibus Campodunensis cœnobij tutelam, ab ipso cœnobiarcho & contubernio illius toto rogatus, se recipere testatur. Iis in literis non solum Hiltegardis de sanguine Boiorum nata scribitur, sed ipsum etiam monasterium in gratiam Boariæ principum constitutum, ipsosque principes Boiorum hæreditarios cœnobij curatores & administratos esse. Nunquam in principum Boariæ commodum positum fuisset hoc nobilissimum domicilium, si nulla sanguinis necessitudo intercessisset; & quorsum curatores hæreditarii & tutores petiti, si non eadem propinquitatis causa accessisset: Certum ergo exerrare Theganum, qui patrem nullum, aliam etiam Hiltegardis matrem creat. Literæ & libri contra Theganum ad manum sunt. In quibus & sanctæ nomen refert Hiltegardis. Videor mihi deprehendisse causam erroris in Thegano. Hildebrādus Sueuorum dynasta fuit nobilissimus; huic eodem nomine filius fuit. His duobus cognominis, tertius etiam Hildebrandus Comes Andecensis, cui filia fuit Regarda seu Regardis. Hæc nupta est Hildebrando Sueuorum seu Comiti seu Duci, Hildebrandi filio. Ex Regarda Bauara Andecensi Comite & Hildebrando Sueuo nata est Hildegarda, patre Sueuo, matre Bauara, gener Hildebrādus Sueuus apud



uus apud socerum Hildebrandum cognominem in Andecensi cre-  
auit Hiltegardam, quæ patriâ & matre quoque Bauara est, patrem,  
auum, atauum, abauū habuit Sueuos, matrem, auosque maternos,  
Bauaros. Munsterus tantum vnum facit Hilbrandum, maritum  
Regardæ, patrem tacet. BruschiuS duos Sueuos Hildebrandos,  
quibus addit tertium Hundius Bauarum patrem Regardis, auum  
maternum Hiltegardis, quam ego sequor viam expeditissimam  
ad errores Thegani declinandos, & qui cum Thegano exerrarunt.  
In auo tamen paterno Hildebrando nihil moueo, siue sit Nebus si-  
ue Hildebrandus siue Imaus.

Causam positi nobilissimi religiosorum nobilium domicilij  
non illas fabulosas ærumnas existimarim, sed potius gratam regi-  
næ mentem, quod ex humiliori statu ad supremum regiæ maiesta-  
tis fastigium ascenderit, quæ coniectura hoc certior est, quod id  
statim initio regni molita sit. Quo verò modo conditum sit ita  
Crusius docet? Ceterum inquit, sic conditum est præsens monasterium.  
Primum ibi lapidem DCCCLXXII. posuit, multis illustribus viris presentibus  
Rolandus, Caroli M. ex sorore Bertha nepos, Francorum longè fortissimus heros,  
de quo poemata Italica extant, Orlandus Matthæi Mariæ Louardi amore ca-  
ptus: & Ludouici Ariosti furiosus: nec non statua Rolandi in quibusdam Saxo-  
nicis vrbibus. Dotauit illud Hiltegardis Alpegouia, id est alpibus adiacente ter-  
ra, & Segouia, lacubus, vicis, & agris, comitatu denique & vico Campodunen-  
si, atque arce Hillemontana; priora omnia (inter quæ & Gtynefurtum tunc vi-  
cus, hodie insigne imperij oppidum Memminga) sub se habente: Quæ arx & lo-  
ca defuncto patre Hiltegardis Hildebrando, habitabantur à propinquis eius & u-  
delbrechto, & Berone Comitibus de Brunswiga (aliter Bxunswila) dictis. Qui-  
bus ipsa usu eorum locorum abrogato alibi prouidit, & omnia contulit omni cum  
iure in perpetuum, viris nobilibus & illustribus Germaniæ fruenda, & religiosis  
ac literatis, quod videlicet à viro nobili effossione oculorum liberata esset. Hunc  
autem locum potissimè tunc ad cænobium construendum, tum ad se ibidem sepe-  
liendum elegit, quod situs esset in confinibus duorum Episcopatuum Constantiensis  
ex quo paternam, & Augustani ex quo maternam originem duceret.

Usa est etiam (si credere placet) ad ædificationem hanc duobus ab vrbe  
Constantinopoli statara & robore incomparabilib. gigantibus, Sancimone & Ce-  
lebrando. Portabant hi saxa humeris suis ad nouam ædificationem, tantum  
ambo in die præstantes quantum alij sedecim, valde autem erant voraces, ita vt  
hominibus admirationi & risui essent: sicuti vetustis temporibus Hercules  
Cæthæ cognominatus quod totos tauros deuoraret. Ipsa quidem  
conditrix multam ex eis materiam iocandi cum ipsis habebat. Ex his Cele-  
brandus post mortem domine in Italiam venit. Sancimon verò Campidoni  
defunctus.

Multa de hoc Rolan-  
do sicut de Hiltegar-  
da facta ab Turpino.

Falsum hoc.

Crusius, vt videt,  
dubitat.



defunctus in medio basilicæ honorifice humatus est. Rursum deinde fuit Hilte-  
 gardis hortata fratris sui Ulrici, cum viro suo Carolo rege, cui charissima erat, Ro-  
 ma, etsi prægnans. Quo tempore secum fertur habuisse inter multos illustres &  
 nobiles itineris comites matrem quoque suam Regardin & sororem Adelindam.  
 Quod cogitandum est factum esse non 1000. anno (sicut in M.S. libro est)  
 sed 1000. aut 1001. quo scilicet anno consecratio monasterij à Pa-  
 pa Adriano facta est, præsentis, sicut jam intelligitur. Erant Romæ mediæ  
 quadragesima comiter ab hoc pontifice & senatu eius excepti: Manserunt ibi  
 plures hebdomades; narravit Hiltegardis pontifici de cænobio, quod condidisset  
 in Illergouia; petijt sibi reliquias aliquot sanctorum (tanquam Christi meri-  
 to sic complendo) in id à Papa dari. Verum cum hic plus dare nollet,  
 quam, quantum ipsa minimo digito sustinere posset, inuocauit illa beatam Mari-  
 am (tanquam sacra scriptura iubente) oraret filium suum, ut is roboraret digi-  
 tum suæ Hiltegardis. Papa dante, sustinuit ipsa digito particulam virgæ Aa-  
 ronis, particulam nauigij Nohe, multum celestis manne (vnde &) multa alia  
 magna ita quidem ut res admirationi spectatoribus esset. factum die paschali.  
 Etiam Andegarius monasterij abbas à pontifice illo confirmatus est & consecra-  
 tus Episcoporum intercessione. Hinc reginæ nomen auctum, sancta & ma-  
 gna Hiltegardis. Pluribus diebus post (si credimus, quoniam alibi me legisse  
 non memini, nisi quod à Gottfrido quodam Ludouici Pij Archicancellario idem si-  
 gnificatur, de quo 2. parte lib. 1. c. 10.) Papa iter ingrediens (Cardinalibus, Episco-  
 pis, abbatibus 350, comitatibus) vna cum Imperatore Carolo & Hiltegarde Campi-  
 donum medio fere Maio peruenit. Erant equi circiter quater mille stabulantes  
 quatuor miliaribus circa Campidonum, passim in pagis etiam Lynæ & Grynefur-  
 ti quæ nondum erant oppida. Concursum hominum ad spectaculum dedicationis  
 cænobij undique factus. Non multo post peperit Hiltegardis in Hillemonto fi-  
 lium quem ipse baptizauit Adrianus Papa: Pipinus fuisse dicitur. Sed prædi-  
 ctus Gottfridus eam antea gemellos enixam ait Ludovicum & Pipinum. Di-  
 uersatus est pontifex cum rege & reginâ in arce modo dicta, Cardinales verè Ep-  
 scopi, abbates & nobilitas alijs in arcibus ac subiecto pago Campidonensi. Tri-  
 uerbium tunc ortum est.

### O Hillemont du edler Berg Zu dir gehören achtzehn Berg.

Id est, multæ arces, quibus monasterium est donatum à fundatrice: Mo-  
 nasterium D. Mariæ & SS. Epimacho ac Gordiano Romæ allatis dicatum, quod  
 à Papa supra dicto mense Maio consecratum & priuilegijs confirmatum est. I-  
 dem cænobium nobilitati extructum, & dies quo pontifex id dedicauit, magna no-  
 bilitatis multitudine honestatus, inde nomen traxit, ut diceretur der Heren tag/  
 Dominorum

Nonne hic Latet ha-  
 resis? Crisimus vide-  
 tur ironix loqui.  
 Fabulosum videtur.  
 Nota hæresicum.

Vide?



*Domini* dies. *der Herin Closter / Domini* claustrum. Primus abbas Andegarius erat qui & se & conuentum fratrum suorum seruaturus statuta S. Benedicti iurauit, & in arce Hillemontia iussus est a regina habitare, quæ castellum eius Beronem cuius supra mentio facta est, alio transiit.

Ducum Sueuiæ tunc insignia communia.

Dimidium scuti album & dimidium rubrum, in longitudinem deorsum.

## Hildebrandi patris Hiltegardis insignia.

Scutum glaucum quadrifidum; supra ad sinistram, & infra ad dextram utrobique tres albi cunei. *Drey Weiß wecken.* supra ad dextram infra ad sinistram utrobique in flauo tres nigri cercopitheci.

Super galea niger athiops rex cum aurea corona, dextra nudum gladium atollens.

Cunei à Bauarica uxore Regarda; cercopitheci à patre duce Sueuiæ.

Sic ex sepe jam dicto M. S. Alias insignia Sueuicorum Ducum non cercopitheci sunt, sed leones.

Habituauit frequenter Hiltegardis alias Hillemontij, alias Rauenspurgi. Hæc Crusius.

De eadem cœnobij structura Bruschijs: Primum uero Campidonensis cœnobij lapidem posuisse legitur, anno domini MCCCLXXII. Dominus Rolandus Caroli M. è sorore Bertha nepos omnium Gallorum, Sabellico teste, fortissimus, presentibus multis principibus ac nobilibus. Dedit autem domina fundatrix ad recens conditum suum cœnobium Alpegouiam, id est alpihus adiacentem terram, Segouiam, id est lacubus, forte Suntheimensi Mariscellensi & Salzbergensi (hos enim amplissimos pisculentissimosque lacus hodie adhuc possidet eius loci abbas) confinem provinciam, Risgouiam, hoc est Retiæ vicinum agrum, Augustigouiam, Augustanæ nimirum urbi adiacens territorium: Hilergouiam item, id est ad llerum sitos agros cum oppidis, pagis, castris, aquis, piscinis, campis & pascuis, præcipue uero comitatu & oppido Campidonensi & arce Hillemontiana, quæ defuncto Hildebrando, patre eius, Rudelbrechti ac Beronis comitum de Brunswiga sedes fuerat, ad quam hæc omnia supra nominata territoria spectabant, cum omnibus iuribus ac priuilegijs, ciuilibus ac Ecclesiasticis in omnem æternitatem ad finem usque mundi usurpandis. Dedit uero hæc omnia pro sustentatione nobilium ac illustrium Germaniæ virorum, qui pietatis, literarum, ac religionis studio sese dederent. Dedit pro nobilibus, inquam, quod Deo ita ordinante a uirone nobili ex erumnis & morte liberata esset. Elegit autem cum ad cœnobium construendum, tum ut quietem suam corpus defunctæ ad diem usque

Fortasse hæc Hiltegardis enenere ante quam Carolo nupsit.

K

nonissi-



effect, nam post, non  
contigisse certum est.  
Ego nunquam fa-  
ctum arbiutor.  
Anceps hoc, dubium  
est, si non omnino fal-  
sum. quod existimo.

nouissimum haberet, hunc locum precipue, quod in Episcopatu Constantiensis, ex quo paternam, Augustani, ex quo maternam originem duceret, consinibus sit-  
tus esset; & quod tum etiam in eodem districtu ad S. Nicolai sacellum p. habitarent herenuta, qui religiose Deo in maxima vite puritate & innocentia serui-  
bant. Adduxerat secum Carolus Hiltegarde sue e Constantinopoli duos in-  
comparabilis stature & stupendae altitudinis gigantes, Sancimonem & Celebran-  
dum, qui gentia saxa humeris suis ad nouum edificium portantes, voracitate  
sua immensa, cum conditrici tum toti vicinie admirationi erant, ac risum sub-  
inde mouebant. Horum alter, Celebrandus videlicet, mortua domina Hilde-  
garde in Italiam venit; Sancimon vero Campidoni mortuus in medio basilicae  
honorificae sepultura donatus est. Fundatrix sancta vocatur,

Hiltegarde sancta  
quam obredicta, stu-  
dia pietatis.

Aegros solatur.

Parturientibus suc-  
currit.

Mortua ante imperium  
Caroli.

In pauperes effusa.

Iudicium de gigan-  
tibus.

non quod canonizata sit a Romanis pontificibus, sed quod ab incurabilis  
Christi doctrinarum ac praeceptionum studiosissima, summo semper studio agros  
inuiserit & verbo Dei consolata sit, quod e partu laborantibus feminis imperatrix  
etiam adfuerit, quod omnibus pauperibus largissima eleemosynarum distributio-  
ne opem summam tulerit. Cuius pietatis insigne & conspicuum hodie adhuc est  
in Campidonensi monasterio indicium, ubi in eius memoriam singulis septimanis  
bis, diebus videlicet Luna & Veneris ducenti homines pauperes distributis pa-  
nibus cibari ac refocillari solent. Duxit eam Carolus M. Brunsvige, ubi tum  
apud aniam Talatinam vixisse scribitur.

Rursum est quod hic dubites de duobus gigantibus, qui ex  
luto Promethei ad sideraeducti videntur, quanquam aliquid nar-  
rationi probabilitatis accedere possit ex simili facto olim apud Ca-  
sinum montem, ubi duo quoque architecti (non gigantes, quos  
fama potius quam veritas in tantam altitudinem porrexit) a Deli-  
derio, praesule Constantinopoli accersiti de quibus Leo Ostiensis.  
Legatos, inquit, praeterea Constantinopolim ad conducendos musai & qua-  
dratarij operis peritos opifices mittit ut alij absidam & arcum, atque vestibulum  
maioris Ecclesiae musiuo componerent, alij Ecclesiae totius pavementum lapideum  
pulchra varietate consternerent. Quam vero periti ipsi artifices fuerint, ex  
opere ipsorum facile conijci potest, cum & in musiuo animatas fere effigies & vi-  
rentia quaeque te putes aspicere & in marmoribus omnigeni coloris flores pulchra  
varietate vernare videantur. Et quoniam huiusmodi artes quingentis jam  
ferme annis obmiserat magistra latinitas, eas huius industria recuperare promer-  
uit etate nostra.

Auent. p. 356, edit.  
Basel.

Iam tabulas Caroli M. inspiciamus, in quibus duo vitia de-  
prehendi posse videntur, primum, quod illo aeo non fuit impe-  
ratorib' vsitatum, qui tantu indictionem & annos regni & Impetij  
signarunt, uti docet Auentinus, qui tradit annum Christi ab Carolo  
Crasso



Crasso demum omnibus epistolis, libellis, diplomatibus additum. Sed fallit & fallitur Auentinus. Extant diplomata Caroli M. Imperatoris, Ludouici Pij Caroli F. Lotharij Nep. quibus annus Christi est adiectus, vti obseruauit doctissimus vir Christophorus Geuoldus. Reperi tamen alias ab Carolo literas anno Christi signatas, ex quibus hoc vitium dilui potest. deinde quod in extremis anno **1000** scriptas dicat & signet annum regni **VI**. Imperij **I**. cum nondum ex Oriente imperium fuerit in Occidentem translatum, nec eo tempore de illo transferendo cogitatum, cum id post septem & viginti demum annos acciderit. Rex enim tantum fuit Francorum & anno **1000** factus Italiae seu Longobardorum, vt suspicer legendum pro *Imperij primo, Regni Italiae primo*. Italiam quippe priore anno (oblesso jam Desiderio rege) occuparat, & primum regni annum nondum exegerat cum Desiderium in potestatem redegit.

Notauit & Crusius hunc errorem, quem frigidè ex ipso diplomate diluere conatur, non veritus (quod philosophantes aiunt) principium petere, hoc est, ad principium quaestionis redire, cum diploma propter vitium, possit ipsum in suspicionem venire. quod est huiusmodi.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Carolus diuina fauente clementia Imperator Augustus. Si sanctam Dei Ecclesiam digno magnitudinis nostra munere sublimare, augmentare, atq; subuenire, ad æternam nostram remunerationem, & regni nostri stabilitatem prodesse credimus; id eo que nouerit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque presentium scilicet & futurorum solers industria, qualiter nos ob interuentum sanctissimi patris nostri Adriani Papæ, ac supplicem rogatum dilectæ coniugis nostræ Hiltegardis, nec non propter nobilem & fidelem famulatum Ioannis Augiensis & S. Galli reuerendi abbatis eiusdemque Episcopi Constantiensis precem, ob meritum Rudangi Metensis Episcopi, & Sturmii Vuldensis abbatis seu cæterorum principum innumerabilium nobis assistentium, Andegarium quendam nobilem magnæ religionis virum, & primum Campidonensis cænobijs ad regularem disciplinam instructorem adsumpsimus & in eodem loco Campidonensis, qui ab eodem in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ constitutus est & situs in pago Illegou abbatem eum confirmauimus, & à Papa Adriano in sancto die paschæ consecratam preciosissimis sanctorum martyrum Gordiani & Epimachi corporibus donatum, in suam abbatiam honestè transmisi-  
mus. Sed quoniam prædicta coniunx nostra in eodem cænobio locum sepulture se habituram ordinauit, diuersis muneribus ditando, quicquid in pago Illegoue & Augusgoue & Albogoue materna hereditate legitime obtinuit, cum nostra potestatiua manu & imperiali largitione illuc tradidit, & in proprium jus eiusd. monasterij

Manuscr. p. 502.



monasterij transfudit, & perpetualiter possidendum sicut in alio Breui continetur donauit. Nos igitur eundem locum ut pote de nostro & in nostro fundatum & dotatum, in nostro nostrorumque successorum mundiburdio siue defensione fore constituentes per nostre auctoritatis munitionem confirmamus & precipimus, ut nullus publicus iudex, neque dux, neque comes, aut quislibet ex iudiciaria potestate villas, curias, aut loca vel agros seu reliquas possessiones memorato monasterio presenti tempore subiacentes &c.

Et in fine sic concluditur.

Quod ut verius credatur & omni tempore incorruptum habeatur, manu propria roborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

L. V. S. S. P. M. V. S.



Signum Domini Caroli serenissimi  
Imperatoris Augusti.

Amelbertus Cancellarius ad vicem Luperti Archi-  
Cancellarij recognoui.

**D**ata ab incarnatione domini 1000. lxxii. i. Indictione xl. anno verotegni pijsimi Caroli VI. imperij (numerantur hic anni imperij a tempore quo contra Langobardorum regem ab Hadriano Papa in Italiam euocatus fuit) primo. Actum Romae in sancto die pasche in Ecclesia sancti Petri coram Adriano papa & multis alijs principibus, in Dei nomine Amen.

Sed enim nec de loco mortis & conditorij inter scriptores conuenit, usque adeo multa sunt de hac femina controuersa. Mortuam aiunt Campodunenses Campoduni & ibidem conditam. Decessit anno, quod omnes tradunt 1000. lxxx. i. i. prid. Cal. Maias. sepultam ait Munsterus Campoduni. De obitu haec Crusius: Anno 1000. lxxx. i. i. cum Carolus se contra Saxones rursus inquietos pararet, antequam e Theodonis villa (Dioduro, Metis, aut Dietenhofa) ubi hiemauerat, discederet, dilecta vxor eius Hiltegardis decessit prid. Cal. Maij, in vigilia ascensionis domini LI. aetatis anno, quae pepererat illi filios Carolum, Pipinum & Ludouicum; filias Rhoduin, Bertham, Gisalam, & Immam.

Qui pharmaceutriam faciunt, & ea dere fabulas, tragcedias & Tomnia fingunt, atque in publica theatra producant, faciunt ritu poetarum non historicorum, quos ipsa annorum ratio, quicquid Frischlinus & alij contra moliantur, refutat. Nos piam & religiosam reginam, adeoque sanctam veneramus, venerandamque posteritati sempiternae commendamus.

SS. MARI.

*Annal. Franc.  
Aimo l. 4. c. 75.  
p. 212.  
Crus. p. 529. c. 6.*